

- Tertio locus Iacobi⁹³ pugnat cum libro Interim fol. 6.⁹⁴ Vult enim Iacobus, ut homo non sit iustus illa fide, quae notitiam historiae significat, quam liber Interim tamen magnificat, et cui tribuit, ut charitati, iustificationem. Sed haec fides adhuc mortua est, ut ex se charitatem parere non possit. Deinde vult
- 5 Iacobus, ut ex vera fiducia in mediatorem Christum, unde iustificatus est homo coram Deo, procedat iustitia operum coram hominibus, ut alter alterius opera bona videant et sic simul glorificent patrem coelestem. Sicut enim iustitia Christi necessaria est homini coram Deo, ita quoque iustitia operum est necessaria homini coram pro-[100:]ximo, propter mutuam in fide aedifi-
- 10 cationem. Sed propter hanc operum iustitiam non datur homini remissio peccatorum sicut propter iustitiam Christi. Quare hac iustitia non iustificamur coram Deo, quod tamen liber Interim affirmat, id est, per hanc non reconciliamur Deo, sed tantum approbamus iam reconciliati, quum per bona opera proximum iuuamus et patrem coelestem glorificamus.
- 15 Quarto negamus contra librum Interim fidem unquam a charitate disiunctam esse.⁹⁵ Modo sit vera fides, id est, fiducia in mediatorem Christum, tametsi iustificat hominem sine charitatis adminiculo. De fide vero, in quantum significat historiae notitiam, de qua liber Interim tantum loquitur, facile concedimus, quod haec sit a charitate disiuncta, quippe quam etiam diaboli habent.⁹⁶
- 20 Quod autem charitas maneat in futura vita, hoc efficaciam et auctoritatem fidei non debet extenuare. Fide enim iustificamur et saluamur, iustificati vero et saluati charitatis opera praestamus, hic qualitercunque perfectius in futura vita praestituri.
- Quinto scripturae non tribuunt operibus salutem. „Salus tua ego sum“:⁹⁷
- 25 Iesus Christus nostra salus. Item: „Secundum misericordiam suam saluos nos fecit.“⁹⁸ Ideo opera ad salutem non sic sunt necessaria, ut vel sint merita vel causa salutis vel propter illorum di-[101:]gnitatem consequamur salutem, sed necessario fidem sequuntur in iustificatis et sunt via, sicut et crux piorum via est, qua per fidem peruenitur ad salutem, nobis in Christo Iesu donatam.
- 30 Sexto locus Ioannis Apoc. XXII, „Qui iustus est, iustificetur adhuc“,⁹⁹ non agit de iustificatione, quae fit coram Deo, sed de iustificatione operum coram hominibus, de qua etiam Iacobus agit,¹⁰⁰ hoc est, de oboedientia, quae necessario sequitur in iustificatis, quam oportet subinde magis et magis exserere et abundare. Porro alia est iustificatio fidei, alia operum, quae duae iustificatio-
- 35 nes nullo modo sunt confundendae.

⁹³ Vgl. Jak 2,17.

⁹⁴ Vgl. Augsburger Interim VII, 55; Augsburger Interim (Ulhart), C 2r.

⁹⁵ Vgl. Augsburger Interim VII, 53; Augsburger Interim (Ulhart), C 1v.

⁹⁶ Vgl. Jak 2,19.

⁹⁷ Ps 35,3.

⁹⁸ Tit 3,5.

⁹⁹ Apk 22,11. Vgl. das Zitat in Augsburger Interim VII, 55; Augsburger Interim (Ulhart), C 2r.

¹⁰⁰ Vgl. Jak 2,17.